



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 1. De initio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

I. **P**ost Lectionem brevem dicitur *Adiutorium* cum reliquis Versiculis usque ad finem.

II. Si nulla alia Hora sequatur, & non continuata sit Prima cum Laudibus, subjungitur Oratio Dominica.

TITULUS IV.

DE TERTIA, SEXTA, ET NONA.

§. I.

De Initio.

I. **A**d initium harum Horarum semper dicitur *Pater & Ave*. Versiculus *DEVS in Adiutorium* semper dicitur, excepto triduo ante Pascha.

§. II.

De Hymnis.

I. **O**mittuntur isti Hymni nunquam, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Nunquam etiam variantur, excepta Octava Pentecostes, ubi loco Hymni *Nunc Sancte* dicitur in Tertia Hymnus *Veni Creator Spiritus*.

III. Stropha ultima variatur pro temporis varietate, uti in aliis Hymnis.

§. III.

De Antiphonis.

I. **I**n Dominicis, Feriis & simplicibus Vigiliis sumuntur sex Psalterio; in Festis verò ex Laudibus de communi Sanctorum, nisi pro utrisque propriae in Proprio Sanctorum, aut de Tempore assignentur. Sumuntur autem hoc Ordine, ut secunda Antiphona Tertiae Horae, Tertia Sextae, & Quinta Nonae serviat.

II. Nunquam omittuntur, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae. In Octava Paschatis verò Antiphona *Hec dies* in omnibus Horis loco Antiphonarum aliarum sola dicitur in fine Psalmorum.

III. Ab initio semper inchoantur tantum, in fine verò